


05 A 451

05

A

451





DISPUTATIO METAPHYSICA  
*De*  
NECESSARIO  
ET CONTINGENTE,

*Quam*  
Dirigente & annuente S.S. & Individua Trinitate,  
In Academia Wittebergenſi,

PRÆSIDE,  
VIRO

*Plurimum Reverendo, Clarissimo, atque Ex-*  
*cellentissimo,*

DN. JOHANNES SCHARFIO,

S.S. Theol. Licentiato, ejusdemq; Extraordinario, & Phi-  
loſophiæ Ordinario, Professore Publico celeberrimo, Dn. Præ-  
ceptore, Patrono & Promotore, omni observantiâ  
& nullo non honore ſemper  
ſuſpiciendo,

*Publicæ ventilationi & placido examini*  
*exponit*

ANDREAS RÜHN DRESDENSIS.

*In Auditorio Majore,*

*Ad diem 17. Junii.*

---

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ MICHAELIS WENDT.

ANNO M DC XLI.

V I R I S.  
MAGNIFICIS. GENEROSIS.  
NOBILISSIMIS. PLURIMUM REVERENDIS.  
AMPLISSIMIS. CONSULTISSIMIS.  
EXCELLENTISSIMIS.  
ELECTORALIS. PROTOSYNEDRII. ECCLE-  
SIASTICI. DRESDENSIS.  
GENEROSO.

DN. PRÆSIDI.  
CÆTERISQUE.  
CONSILIARIIS.  
EMINENTISSIMIS.  
OMNIBUS. SINGULIS.

DNN. MECŒENATIBUS. PATRONIS. AC. PROMOTORIBUS.  
SUIS. MAGNIS. ET. OMNI. OBSERVANTIÆ.  
CULTU. ÆTERNUM. PROSEQUENDIS.

HOE. STUDIORUM. SUORUM. ACADEMICORUM.  
SPECIMEN.

IN. EORUNDEM. COMMENDATIONEM.  
ET. BENEVOLENTIÆ. AC. FAVORIS.  
CONCILIATIONEM.

D. D. D.

ANDREAS. KÜHN. DRESDENSIS.  
A. ET. RESP.



05 A 451

DISPUTATIO METAPHYSICA  
De  
NECESSARIO & CONTINGENTE.

PROOEMIUM.



Uam varias, imò pugnantes non parùm opiniones jàm olim aluerint sapientes, quamq; mirificè sibi contravenerint, præsens quoque materies, quam discutiendam nobis summus, de Necessario & Contingente non obscure testatum ibit. Stoici cum omnia fato & inevitabili quâdam necessitate fieri pronunciaverint, omnem sanè contingentiam è rebus sustulisse dicuntur, quamvis idipsum immeritò illis imponi censeat Suarezius. *Vide eum disput. 19. de causis creatis liberè agentibus. sect. 11.* Et omninò observes velim, quæ *Lipsius lib. 1. Stoicæ Physiologie cap. 12.* de Fato Stoico prolixè docet, quin & *Augustin.* hac de re legas *lib. 5. de Civit. DEI. cap. 10.* At contra *Ἀγrippίνδω* oblutati Epicurei omnium rerum eventus fortuitos proclamârunt. En sectas inter sese concertantes! Nos neutri parti favebimus, mediam viam cum præceptoribus nostris calcaturi, & contingentiam adhuc in rebus reliquam & necessitatem laconicè, tantum ingenii exercendi causa, adstruemus. Tu Jova cymbam rege!

### Thesis I.

**U**T vero ordine progrediamur, in quatuor membra nostram secabimus disputationem. In 1. Definitiones tùm Necessarii tùm contingentis evolvemus. In 2. Distinctiones potiores proponemus. In 3. Quæstiones nobiliores attingemus. In 4. Canones quosdam subjiciemus. Quæ tamen singula strictè ac succinctè, ut fas est in disputationum thesibus, pertractabimus.

### Thesis II.

Et primo quidem ne ambiguitate vocis decipiamur, cum errorum ea sit genetrix, priùs eam evolutam demus oportet, antequam provehamur altius, quò tutò postmodum pedem figere queamus.

### Thesis III.

Aristot. l. 4. Metaph. c. 5. quatuor significationes recenset. *Necessarium*, ait, *dicitur 1. id sine quo non contingit vivere, tanquam concausa.* Sic respiratio animæ est necessaria. 2. *necessarium sumitur pro eo, quod ad bene esse facit.* Sic Philosophia necessaria est Theologo. Sic equus ad peregrinationem. 3. *idem est quod violentum.* Sic fur necessariò abit ad patibulum. 4. *Quod aliter se habere nequit.* Et hæc potissima Necessarii acceptio est, juxta quam cætera quodammodo dicuntur necessaria, ut ibidem notat Philosophus.

### Thesis IV.

Hinc ita describi solet: Necessarium est affectio Entis disjuncta, consistens in invariabilitate, seu eo, quod aliter se habere nequit. Arist. l. 4. Met. cap. 5. ἀναγκασίον φανερὸν τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶναι. *Necessarium dicimus, quod non contingit se aliter habere, ut coelestia corpora,*  
ORTUS.

ortus solis, motus astrorum sunt quàm maximè necessaria entia.

*Thesis V.*

In qua descriptione duo pensiculanda sunt. 1. Materiale. 2. Formale.

*Thesis VI.*

Materiale Necessarii est omne Ens: Hoc enim præsupponit, atquè essentialiter includit, quemadmodum reliquæ affectiones Entis in adæquato suo significato ipsam Entitatem implicant, licet eandem non notent formaliter, sed materialiter & quasi subjectivè.

*Thesis VII.*

Formale Necessarii est illa ratio & conceptibilitas, quâ ejus quidditas ultimò concipitur, & per quam ab aliis distinguitur.

*Thesis VIII.*

Est autem invariabilitas: Hâc enim ultimatè absolvitur Necessarium ut sic, quatenus competit & Deo & creaturis. Formalem autem rationem necessarii in immutabilitate cum Domino Scheiblero & Calovio locare vix videtur esse tutum. *Confer cum eis Rever. & Excellent. Dn. Præsidentem in Theor. Transcend. p. 678. seqq.* multò minùs consistit in actu necessarii, quatenus necessarium est, ut vult Timplerus, quem refutat *Plur. Rever. & Excellent. Dn. Jacob. Martini l. 1. partit. Met. s. 10. q. 1.*

*Thesis IX.*

Oppositum Necessarii est Contingens: quod multifariam dicitur, ut docet *Arist. l. de Interpr. cap. 13.* ἐνδέχεται λέγουμεν καὶ τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὸ μὴ ἀναγκαῖον καὶ τὸ δυνατόν. Sed ut rectè monet *Phil. lib. 1. Analyt. cap. 13.* necessarium homonymòs contingere dicitur, cum hæc duo propriè ac directè opponantur. Hoc autem loco

contingens sumitur non *in actu exercito*, hoc enim respectu ejus non datur scientia. *Aristot. l. 6. Ethic. cap. 3.* neque etiam late pro *possibili*, Sed *in actu signato*, & strictè, quatenus denotat communem istam naturam, secundum quam omnia, quæ in particulari contingencia sunt, dicuntur communi nomine contingencia, quæ produci & non produci possunt. v. g. Aristoteles disputat. confer *Dn. Scheibl. p. m. 467. & Plur. Rever. & Clariss. Presidem in Theor. p. 693.*

*Thesis X.*

Sic autem describitur: Contingens est affectio Entis disjuncta variabilitatem in essentia sua admittens. sic ambulatio est Ens contingens. *Aristot. l. 1. Anal. prior. cap. 13. Contingere & contingens id appello, quod cum non sit necessarium, si ponatur esse, nihil inde sequitur impossibile.*

*Thesis XI.*

Formalis igitur ratio Contingentis est Variabile esse, seu variabilitas, sicut Necessarii Invariabilitas.

*Thesis XII.*

Hæc de primo membro, scil. de Necessarii & Contingentis descriptione, nunc nobiliores quoque distinctiones videbimus.

*Thesis XIII.*

Et quidem 1. Necessarium dispescunt in Complexum & Incomplexum. *Illud* est integra propositio necessaria, & est peculiæ Logici in parte propria de Demonstratione. Vocatur aliàs necessitas *materialis*, & juxta, hanc propositio alia est *κατὰ παντός*, alia est *κατ' αὐτὸ*, alia *καθόλου*. *Hoc* est res simplex, cujus natura aliter se habere nequit, sicut supra definitum fuit, & est unice hujus loci.

*Thesis XIV.*

Quod est vel dependens vel independens. *Illud*  
est,



est, quod ab alio dependet, nec non ab eo corrumpi potest, ut omnis creatura, quæ necessitatem involvit, partim ob actum existendi, partim ob causas antegressas proximas. *Hoc, quod à seipso Entitatem & necessitatem suam habet, & à nullo mutari valet, ut Solus Deus, quem propterea non ineleganter ζῶν ἀίδιον ἀεισὸν vivum, sempiternum, optimum, vocat Aristot. lib. 1. Metaph. cap. 7. Sed & notandum insuper hîc est, primum aliquid necessarium esse, unde sint cætera. Quo facit illud quod Aristoteles lib. 4. Metaph. cap. 5. docet, quorundam aliam esse causam, ut sint necessaria, quorundam verò nihil, sed propter hæc esse necessaria alia. Quare primum ἔκ τούτων necessarium est, quod simplex est.*

#### *Thesis XV.*

Dehinc dispescitur in Absolutum & Hypotheticum. *Illud est ipsius rei necessitas, quando Ens in sese & sua natura est invariabile, ut rationalitas in homine est Ens necessarium, quia homo non potest non esse rationalis. Hoc, quod in se & sua natura quidem variabile est, sed non variat propter hypothesein positam. Sic poenæ divinæ sunt necessariae, quia præsuppositâ malitiâ hominum non possunt non sequi. Arist. lib. 1. de partibus Animal. cap. 1. prolixè docet necessarium ipsis rebus inesse diversimodè, vel ἀπλῶς simpliciter & absolute, vel ἔκ τούτων ex suppositione. Necessitas, inquit, non omnibus inest similiter, sed τοῖς ἀίδίοις perpetuis absolute sive simpliciter, aliis vero caducis ἔκ generalibus ex hypothese, quemadmodum in artificiosis, ut ædibus, aut bujuscemodî aliis. Materiam enim talem adesse necesse est, si domus aut alius quivis finis futurus sit, atquè etiam fieri moveriq; illud primum oportet, deinde hoc ac deinceps ad hunc modum itur ad finem, cujus gratia res quæq; ἔκ efficitur ἔκ est.*

Item.

Item sub finem capitis 1. *Necessitas*, inquit, aliàs ita significat, ut si res, cujus gratia futura est, hac haberi necesse sit, aliàs ita ut sic se habeant, aptaq; sua natura ita sint. Egredi enim calorem, rursusq; ingredi, cum in re obvia offendatur, aëremq; interlabi necessum est: sed cum aer exterior refrigerando retorquet ingressus atq; egressus caloris interioris rei alicujus gratia agitur. Hæc Aristot. d. l. Thomas part. 1. q. 19. art. 3. hanc distinctionem ita explicat: *Necessarium absolute indicatur aliquid ex habitudine terminorum, utpote quia predicatum est in definitione subjecti, sicut necessarium est hominem esse animal, vel quia subjectum est de ratione prædicati, sicut hoc est necessarium, numerum esse parem vel imparem. Sic autem non est necessarium Sortem sedere (aut equum currere) unde hoc non est necessarium absolute, sed dici potest necessarium ex suppositione. Supposito enim quod sedeat (aut currat alter) necesse est eum sedere (equum currere, dum currit.)*

*Thesis XVI.*

*Necessitas est vel Intrinseca vel extrinseca, quam Aristot. l. 2. Anal. post. cap. 11. ita proponit: Necessitas duplex est: altera namq; est natura φύσις secundum naturam & appetitionem, altera vero est violenta, quæ est præter appetitum, ut Lapis ex necessitate sursum & deorsum fertur, sed non ob eandem necessitatem. Quam distinctionem eruditè declarat Thomas part. 1. sum. q. 82. art. 1. Necessitas, inquit, convenit alicui uno modo ex principio intrinseco, sive materiali, sicut cum dicimus, quod omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi: sive formali, sicut cum dicimus, quod necesse est, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Et hæc est necessitas naturalis & absoluta. Alio modo convenit alicui,*

cui,

cui, quod non possit non esse ex aliquo extrinsecō vel fine vel agente. *Fine* quidem, sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi, aut benè consequi finem aliquem, ut cibus dicitur necessarius ad vitam, & equus ad iter: & hæc vocatur necessitas finis, quæ interdum etiam utilitas dicitur. *Ex agente autem hoc alicui convenit:* Sicut cum aliquis cogitur ab aliquo agente, ita quod non possit contrarium agere, & hæc vocatur necessitas coactionis. Hæc Thomas d. l.

*Thesis XVII.*

Sed & præterea distingui solet necessarium, ut sit vel coactionis vel violentiæ. *Illud* est, quod rei ab agente extrinsecō prævalente contra voluntatem & cum displicentia imponitur, ut Nauta ad evitandum naufragium projicit merces in aquam. Sic fur necessariò abit ad patibulum. *Hoc*, quod rei ab agente extrinsecō prævalente contra naturalem propensionem infertur, ut lapis per necessitatem violentiæ projicitur sursum.

*Thesis XVIII.*

Huc pertinet & illa distinctio. quâ necessarium dicitur vel consequentis vel consequentiæ. *Illæ* est ipsius rei necessitas consistens in essentiali causæ & effectus dependentia, ut homo necessariò ridet, ignis urit, aqua frigefacit. *Hæc*, quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente, ita tamen ut tam antecedens tam consequens sit contingens. Sic necessariò ignarus manet indoctus. Necessariò veniunt scandala.

*Thesis XIX.*

Necessarium aliud est *ad Esse*, sine quo res plane esse nequit, ut si non est anima rationalis, non existere etiam homo potest. Aliud est *ad benè esse*, quod commo-

B

ditate

ditate quâdam rei alicui conducit. Sic Virtutes neces-  
sariæ sunt ad benè esse hominis, ut scilicet decenter &  
honestè se gerat.

*Thesis XX.*

Unum adhuc placet addere, quod autores notant  
de Necessitate quoad speciem, & quoad exercitium actus.  
De quo Hurtad. de Mendoz. disp. 7. part. poster. sect. 4.  
sic loquitur: *Necessitas quoad speciem est determinatio po-  
tentia ad aliquam speciem actus, ita ut non possit elicere actum  
speciei contraria.* verbi gratiâ, voluntas ita est determina-  
ta ad bonum in commune, ut illud non possit odio ha-  
bere, quapropter & determinata quoad speciem bo-  
ni in commune. Libertas huic necessitati opposita  
vocatur *libertas contrarietatis*, id est, indifferentia ad  
actus contrarios, ut homo hominem potest odio pro-  
sequi & amore. *Necessitas quoad exercitium est determi-  
natio potentia ad unum actum, ut non possit ab illo cessare vel  
illum cobibere:* sic voluntas Beatorum est determinata  
ad exercitium charitatis, ut nunquam possit à Dei amo-  
re cessare. Libertas huic necessitati opposita vocatur  
*libertas contradictionis*, quia potest actum exercere, & nō  
exercere. Adverte, necessitatem quoad speciem inclu-  
di in necessitate quoad exercitium; non tamen è con-  
tra: nam si beatus non potest cessare ab amore Dei, non  
potest habere illius odium, & licet non possim Patrem  
odisse, non tamen amo necessariò: Item *indifferentiam  
contradictionis* includi in indifferentia contrarietatis, nō  
tamen è contra: Nam si mihi liberum est amare & o-  
disse, rectè possum nec amare nec odisse: attamen licet  
ego possum non amare, non propterea possum odisse.  
Hæc ille.

Hæc.

*Thesis XXI.*

Hactenus de potioribus Necessarii distinctionibus,  
sequuntur distinctiones contingentis.

*Thesis XXII.*

Contingens aliud est complexum, aliud incomple-  
xum. Illud est propositio Contingens, sive Contingentia hæc materialis sit, sive formalis, v. g. homo est doctus, homo contingenter est doctus. Hoc est res simplex, quod suâ essentiâ variabile est, ut virtus, peccatum.

*Thesis XXIII.*

Contingentia alia est extrinseca, alia intrinseca. Illa est, quâ aliquid ab extrinseco principio mutari potest, & hæc Contingentia dicitur, & de agentibus liberis & naturalibus. Sic studiosus sæpè constituit literis operam impendere, sed impeditur ab externo aliquo negotium sibi facessente. Sic Ignis in sua actione crebrò sistitur. Hæc nihil aliud est, quàm libertas & liberum arbitrium, quo agens potest agere & non agere. Et hæc tantum in agentia libera cadit. Sic studiosus liberè disputat. Tantum etiam de distinctionibus, sequuntur Quæstiones.

Quæstio I.

*An omnia fatali & inevitabili necessitate  
proveniant?*

Ita statuisse quosdam antiquos Philosophos, Democritum scilicet, Empedoclem, & Heraclitum, communiter perhibent autores, & ex Augustino *lib. 4. Confess cap. 3. Suarezius l. supra allegato*: qui dixerunt omnes effectus & actiones causarum universi necessitate quâ-

dam fatali provenire orta ex connexione causarum omnium & coelorum ac stellarum influxu. Unde & *Stoicorum fatum dicitur*, quorum sententiam operosè ac prolixè exponit *Lipsius l. 1. de Stoica Physiolog. cap. 12.* Non error, sed furor hominum est statuentium, omnia tam Bona, quàm mala, Stoicâ fieri & absolutâ necessitate, etiam quæ à voluntatibus hominum in inferiore hoc mundo perpetrantur, ut nihil ibi contingenter fiat, quem falsè redarguit Scotus, quando *1. sentent. distinct. 29.* tam diu tormentis eosdem subjiciendos suadet discruciantosq; , donec concedant, se posse non cruciari. Quis enim experientia non est edoctus, situm in hominis voluntate velit agere nec ne? quis non persentiscit, hac ratione Numen Optimum Maximum autorem peccati inculpatum iri, introductâ hac fatali, nec non ab orco revocatâ necessitate. Ab utroq; errore non procul abesse Calvinianos, quotquot ineluctabilem agendi necessitatem à divina providentia profluentem statuunt, obscurum esse non potest. Quod *ἄλογον*, imò blasphemum dogma convellimus, & rationibus & auctoritatibus. Rationes sunt 1. quia plurima fiunt, quæ poterant non fieri, præsertim in humanis actionibus & negotiis. 2. quia multa fiunt per auctus liberos, tum hominum, ut cuiq; constat per experientiam, tum Angelorum & animarum separatarum, cum sint Spiritus, qui non agunt ex necessitate naturæ, sed arbitrii libertate, tum ipsius DEI, Ter Opt: Max:, qui operatur universa juxta decretum voluntatis suæ. 3. obstat quoquè ipsarum naturalium rerum conditio: istæ siquidem potentiam contradictionis obtinent ad esse & non esse. Auctoritates quod attinet inter eas eminet Aristotelis. Sic enim *l. 2. Metaph. c. 1. & seqq.* distinguit potentias racionales

nales ab irrationalibus, & prioribus tantum concedit  
 intrinsecam vim per se operandi contraria, nimirum ex  
 interna libertate. Quin imò ipsi Stoici, ut disertè do-  
 cet *August. l. 5. de C. D. cap. 10.* à necessitate fati, quam in  
 aliis rebus asseriebant, voluntatem humanam excipie-  
 bant. Quemadmodum etiam Vives ex *Plutarch. lib. 1.  
 de Placitis* refert, Stoicos de libertate humana idem  
 cum Platone sensisse. Cicero quoque eloquentiæ mi-  
 raculum *l. 1. de Divin. & Natura Deorum*, ut hominis li-  
 bertatem defenderet, divinam præscientiam negavit,  
 quod putaret hanc pugnare cum libertate humana,  
 quam vel ipso rerum experimento credidit esse eviden-  
 tem, sed utrumq; asserendum est, ut paulò post ex Au-  
 gustino notabimus. Confer si lubet Suarez. *l. d. Ar-  
 gumenta contraria*, quæ huic sententiæ objici solent re-  
 servabimus ipsi conflictui: instituti enim nostri non est  
 omnia prolixè hic persequi, sed summa saltem attin-  
 gere.

## Quæstio II.

*Utrum Corpora Cœlestia imponant Necessi-  
 tatem illis, quæ eorum actioni sub-  
 duntur?*

Quæstionem hanc movet & resolvit *Thomas part. 1.  
 sum. q. 115. art. 6.* Quamvis, inquit, ex impressione corpo-  
 rum cœlestium fiant aliqua inclinationes in natura corporali,  
 voluntas tamen non ex necessitate sequitur has inclinationes,  
 & ideo nihil prohibet impediri effectum cœlestium corporum  
 per voluntariam actionem, non solum in ipso homine, sed et-  
 iam in aliis rebus, ad quas hominum operatio se extendit.

B 3

Unde

Undè haut obscure patet, quid de judiciaria astrologia  
sentiendum sit. Quin imo nec in naturalibus semper  
ex astrorum influxu necessitas quædam derivari potest.  
Rectè enim *Philosophus. l. 6. Metaph. text. 5.* docet, *non  
necesse esse effectum poni, positâ quâcunque causâ, item plu-  
rima fieri per accidens & non ex necessitate.* Vide Arist.  
*l. 5. Metaph. c. 2. Thom. d. 1. artic. 4. & 6.*

### Quæstio III.

*An præscientia divina tollat rerum  
contingentiam?*

Negativam tuemur, quia hac ratione fatalis  
omnium rerum necessitas cum antiquis Philosophis  
esset introducenda, quod in præced. quæstione ne-  
gatum. 2. Necessitas & contingentia non nisi ex  
*causis veris, & præcipuè ex adæquatis ac proximis* est  
æstimanda. Jam vero præscientia divina *præcisè*  
neque est causa proxima alicujus rei, neque remota;  
*non illa*, quia hac ratione omnes res præscitæ fierent  
necessariæ, neque *hæc*; non enim propterea, quia  
præscit DEUS, aliquid evenit, sed quia futurum est,  
præscit. Proinde nec imponit rebus futuris neces-  
sitatem, nec contingentiam impedit. Adde con-  
tingentiam non impediri ex eo, quod aliquid verè fu-  
turum est: Ergò multò minus tolletur propter id,  
quod verè præscitur futurum esse. Si enim aliquid  
verè futurum, & tamen contingenter erit, idem quo-  
que verè præsciri potest, & nihilominùs manere con-  
tingens. Quod ipsum luculenter satis illustrari so-  
let exemplis Mathematicorum & Medicorum. *Illi*  
Eccli-



Ecclipses, *bi* morbos præsciunt, non tamen ejusmodi  
fiunt propter præscientiam eorum, sed potius quia  
futura hæc erant, à Mathematicis & Medicis præco-  
gnoscebantur: Sic quando videò aliquem scriben-  
tem, is necessariò à me videtur scribere, interim non  
scribit, necessariò propter meum visum, sed quia dum  
scribit non potest non simul scribere. Eruditè Au-  
gustin. l. 5. de Civit. DEI cap. 10. Non propterea nihil est  
in nostra voluntate, quia DEUS præscivit, quid futurum  
esset in nostra voluntate. Non enim qui hoc præscivit: ni-  
hil præscivit. Porro si ille, qui præscivit, quid futurum  
esset in nostra voluntate, non utiquè nihil, sed aliquid præ-  
scivit: profecto & illo præsciente est aliquid in nostra vo-  
luntate. Quocircà nullo modo cogimur, aut retentà præ-  
scientià DEI, tollere voluntatis arbitrium, aut retento  
voluntatis arbitrio, DEUM quod nefas est, negare præ-  
scium futurorum, sed utrumque amplectimur, utrumque  
fideliter & veraciter confitemur. Quod ipsum quoque  
Chryostomus sup. Epist. ad Corinth. egregiè declarat.  
Enimvero Christus, inquit, necesse est ut veniant scandala,  
non ideò arbitrii libertatem corrumpens, aut vite vim &  
necessitatem imponens, sed prædicens id, quod ex mala homi-  
num voluntate omninò futurum est: quod sanè futurum  
est, non quia id DEUS præviderit, sed voluntas hominum  
immedicabilis fuerit. Non enim quia prædixit DEUS, hæc  
facta sunt, sed quia omninò ex mala hominum voluntate  
ventura erant, ipse prædixit. Quam in rem sollicitè di-  
sputat Lombard. l. 6. Sentent. distinct. 38. & Thomas  
part. 1. sum. q. 19. art. 8. quæst. 22. art. 4. & c.

Quæ-

## Quæstio IV.

### *An Contingentium aliqua detur scientia?*

Hic ante omnia distinguendum est inter actum signatum, & actum exercitum. *Hunc* vocamus, qui rem in applicatione, prout in singularibus multiplicatur, considerat. *Illum*, qui rem sub proprio suo signo & communi abstracta q; definitione concipit. v. g. Physicus in actu signato considerat hominem dicens, quid sit homo, Medicus in actu exercito, dum applicat medicamenta. Sic eodem modo dicimus Contingentium scientiam dari in Metaphysicis in actu signato, dum Metaphysica quasi signat, quid sit contingentia, eamq; in universali considerat, & quotuplex sit, non vetò datur cognitio in actu exercito. *Thomas part. 1. sum. q. 86. art. 3.* *Dicendum*, inquit, *quod contingentia dupliciter possunt considerari, uno modo secundum quod contingentia sunt, alio modo secundum quod in eis aliquid necessitatis invenitur. Nihil enim est adeò contingens, quin in se aliquid necessarium habeat: sicut hoc ipsum quod est Sortem currere in se quidem contingens est, sed habitudo cursus ad motum est necessaria. Necessarium enim est Sortem moveri, si currit. Sic igitur contingentia prout sunt contingentia, cognoscuntur directè quidem sensu, indirectè autem ab intellectu, rationes autem universales & necessaria contingentium cognoscuntur per intellectum. Unde si attendantur rationes universales sensibilibus, omnes scientia sunt de Necessariis si vero res ipsa, de contingentibus quoq; quedam erunt.* 2. Contingentia considerantur vel ratione causæ, vel ratione subiecti. *Illæ* dicuntur, quæ habent causam contingentem. Sic inventionis  
tionis

tionis thesauri nulla datur scientia, quia scientia est habitus demonstrativus rerum necessariorum, inventio vero thesauri est res contingens. *Hæc dicuntur, quæ causam quidem habent necessariam, contingencia tamen sunt respectu subjecti, quod raro fiant.* Sic Eclipses sunt Entia contingencia respectu Solis vel Lunæ, horumque datur scientia. 3. Distinguendum est *inter intellectum creatum & increatum.* Hic exactissime omnia contingencia novit, quæcunq; etiam futura sunt, tanquam præsentissima intuetur. Quæstio ergo affirmatur in actu signato, respectu subjecti, & respectu intellectus divini.

### Quæstio V.

#### *An libertas stare possit cum necessitate?*

Quæ quæstio eo altiore requirit considerationem, quo vehementius in eâ & pugnant & errant adversarii, tam Calviniani, quam Pontificii & Arminiani. Et primò quidem certum est, quod *libertas excludat prorsus necessitatem coactionis.* Huic enim directè opponitur & contradictorium omninò est, ut aliquid sit liberum & coactum. Voluntas siquidem cogi nescit, v. g. quando fur supplicium subire cogitur, tunc non liberè illud subit, sed cum animi reluctatione. Sic quando Evangelici mille cruciatibus subjiciuntur, ut Christo repudium mittant, seseque jugo Ecclesiæ Romanæ submittant, omninò libertas ipsorum oppugnatur: Sed nec ejusmodi *ineluctabilem agendi necessitatem* compatitur, quâ voluntas agentis ita inclinatur, determinetur, ac quasi constringatur, ut nec aliud, nec aliter aut velit aut possit velle, quam id quod sic mota & inflexa ipso actu vult. Ita scilicet intrinsecus cogeretur voluntas, quod omninò

C

abso.

absolutum est. Facetè pariter ac verè in actis Synodali-  
 bus Remonstrantes exprobrant Calvinianis, talem esse  
 libertatem, quam illi relinquunt homini, qualis est pueri à  
 robustissimo viro sic undiquaq; complexi, ut nec pedes, nec ma-  
 nus nec digitos movere queat. Include, inquiunt, tu mihi  
 virum carceri, & illum dum vixerit vinculis, nunquam sol-  
 vendis adeò duriter constringe, ut ne quidem pedem loco move-  
 re possit, & publicè proclama, quanta huic homini per campos  
 discurrendi relicta sit libera potestas, idq; quia Interna am-  
 bulandi facultas ipsi adempta non est: Et vide anne omnes,  
 saltem quibus sana mens est, te falsè risuri sint? Ita scili-  
 cet Calviniani evertunt libertatem agendi. Cæterum  
 non omnino tamen hic exulant omnes necessitates, ut  
 eruditè ostendit Augustinus l. 5. de C. D. Cap. 10. Si illa de-  
 finitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut sit  
 aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis auferat  
 libertatem voluntatis. Neque & vitam DEI & præsci-  
 entiam DEI sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse  
 DEam semper vivere & cuncta præscire, sicut nec potestas ejus  
 minuitur, cum dicitur mori falliquè non posse, sicut etiam cum  
 dicimus necesse est esse, ut cum volumus, libero velimus ar-  
 bitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideò ipsum  
 liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit liberta-  
 tem &c. Necessitas vero actus, id est, existentia, hy-  
 potheseos, honestatis, mandati, omninò amicè con-  
 veniunt cum libertate. Sic bona opera & sunt ne-  
 cessaria & contingentia seu libera, necessaria necessi-  
 tate præcepti divini, libera ratione causæ liberæ, à  
 quâ proveniunt. Sic studiosus liberè incumbit lite-  
 ris, & tamen etiam ex necessitate honestatis, offi-  
 cii &c.

Quæ-

## Quæstio VI.

### *An Effectus Contingens, dum est, adhuc sit Contingens?*

Hic ante omnia removemus contingens de futuro. Hoc enim extra omnem controversiæ aleam, tale esse primus quæstionis intuitus admonet: deinde contingens dupliciter considerari solet. 1. secundum se & absolutè, id est, quatenus non est determinatum ad aliquam temporis differentiam. 2. quando jam determinatum est ad tale vel tale tempus. Quæstio Ergo nostra intelligitur primo modo, effectus enim contingens ex natura sua & intrinsecè talis omnino est, ut ex se possit esse & non esse vel aliter se habere, ut patet ex definitione superius positâ, v. g. quando tabellarius iter ingreditur, tunc non ex necessitate naturæ id persequitur, sed ex libertate voluntatis, hinc in potestate ipsius situm ambulare velle vel non ambulare. Sequuntur ergo Canones.

#### I. CANON.

*Omne Ens est vel Necessarium vel Contingens.* Est enim disjuncta Entis affectio, quæ totam Entis latitudinem exhaustire debet. Rectè Thomas part. 1. q. 22. art. 4. Necessarium & Contingens propriè consequuntur Ens, in quantum hujusmodi. Medium ibi nullum datur, id quod observandum est.

#### II.

*Solum primum Ens est absolutè necessarium, quia neque ab extra neque ab intra est variabile.*

#### III.

*Præscientia divina non tollit rerum Contingentiam.*

Aus.

Actus enim nunquam est causa sui objecti Vid. B. Meisa.  
part. 1. Phil. Sobr. sect. 4. quæst. 4<sup>a</sup>

IV.

*Omne quod est, quando est, necesse est esse. Si non natura sua, tamen determinatione temporis.*

V.

*Entia ex hypothesis necessaria tantum revera sunt Contingentia. Ratio, quia non habent causam necessariam, necessaria tamen dicuntur propter quandam hypothesis.*

VI.

*Futurorum Contingentium non est determinata veritas.  
Tantum.*

---

**A**D alta tendis culmina boni, KÜHNEE,  
Sapientiae dum combibis liquidas aquas,  
Rorem beatioris animi candidum:

*Ent beat enim, pascitq; mentem nobilis*

*Materia pabulo suo; cujus velim*

*Micam pusillam, quam quod obstrudit vorax*

*Ganeo, sibi vivens, gulæq; pessimæ.*

*Ausos Deus honesta juvat, Et semper aliquis*

*Ad summa surgens impetus pol! aptus est!*

*Congratulationis, Et boni ominis  
ergo addebat*

M. Nicolaus Pompejus, Mathem.  
Infer. Profefs. Publ.

05 A 451

**ULB Halle**

3

004 209 001




VD 77









DISPUTATIO METAPHYSICA  
*De*  
**NECESSARIO**  
ET CONTINGENTE,

*Quam*  
Dirigente & annuente S.S. & Individua Trinitate,  
In Academia Wittebergensi,  
P R Æ S I D E,  
V I R O

*Plurimum Reverendo, Clarissimo, atque Ex-  
cellentissimo,*

**DN. JOHANNES SCHARFIO,**  
S.S. Theol. Licentiato, ejusdemq; Extraordinario, & Phi-  
losophiæ Ordinario, Professore Publico celeberrimo, Dn. Præ-  
ceptore, Patrono & Promotore, omni observantiâ  
& nullo non honore semper  
suspiciendo,

*Publicæ ventilationi & placido examini  
exponit*

**ANDREAS RÜHN DRESDENSIS.**

*In Auditorio Majore,*

*Ad diem 17. Junii.*

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ MICHAELIS WENDT.  
ANNO M DC XLI.